

rum affectionum ex parte voluntatis, addita simul externa Dei protectione, quae omnia complent sufficientiam in ordine ad servanda omnia praecipua collectivè. Sed quia ad haec auxilia manet eadem difficultas, ut consideranti constabit: Addimus nos, conferri auxilia actualia reprimenda motus appetitus sensitivi, quae sunt quaedam participationes integritatis naturalis, cum quibus conferuntur etiam auxilia efficiacia. De ijs non potest dubitari, quod se tenent ex parte actus primi, non per modum principij exequentis, sed praecise per modum principij subijcientis appetitum rationi, sicut de ipsa integritate solet, & debet dici.

DUBIUM V.

Utrum ad nunquam peccandum venialiter requiratur speciale gratiae privilegium?

92 **E**Xaminatis viribus arbitrij nostri, relatè ad ea quae obligant sub mortali: rectus ordo postulat, ut eas consideremus in ordine ad vitanda peccata venialia. Et praehabita noticia distinctionis peccati mortalis à veniali, & divisionis huius in peccatum veniale ex genere, & in veniale ex parvitate materiae, & veniale ex imperfecta deliberatione ex dictis tract. praeced. disp. 2. dub. 5. Supponimus primò tanquam de fide, contra Lutherum, hominem lapsum posse vitare peccata venialia saltem viribus gratiae. Ita definit Trid. sess. 6. can. 25. his verbis: *Si quis in quolibet bono opere iustum saltem venialiter peccare dixerit &c. anathema sit.* ¶ Supponimus secundò etiam ex fide, contra Iovinianum, hominem iustum posse peccare venialiter, & peccatum veniale cum gratia coniungere. Ita idem Concil. sess. 6. can. 23. ubi diffinit: *Si quis hominem semel iustificatum dixerit amplius peccare non posse... anathema sit.* Idque probari potest mille testimonijs sacrae Scripturae: pro quibus sufficiat illud 1. roverb. 24. *Septies enim cadet iustus.* ¶ Supponimus tertio, contra Pelagium, proprijs viribus non posse hominem per totam vitam vitare peccata venialia, ut ex dicendis toto dubio constabit. ¶ Supponimus quarto ex dictis dub. praeced. hominem sine gratia habituali non posse vitare omnia peccata venialia: quia haec innumera sunt, & frequentius occurrunt, quam mortalia, & propterea difficilior longe est vitare venialia, quam mortalia: ergo si gratia habitualis est necessaria ad vitanda omnia mortalia collectivè, multò magis necessaria erit ad vitanda omnia venialia etiam collectivè. ¶ Supponimus tandem, hominem saltem iustificatum posse vitare absque ulteriori gratia plurima peccata venialia divisivè. Dubium tamen est, an praeter gratiam habitualement, & auxilia est

lege communi gratiae ei debita sit necessaria alia specialissima gratia (quam privilegium specialissimum vocamus) ad nunquam peccandum venialiter? Circa quod:

Duplex versatur sententia. Prima asserit, posse quemlibet iustum cum auxilijs communibus gratiae habitualis toto vite tempore vitare omnia venialia: quemvis addat, quòd nullus defacto vitabit. Ita Vega in Concil. Trid. cap. 14. Secunda docet, praeter gratiam habitualement, & auxilia legi communi correspondentia, necessarium esse speciale gratiae privilegium. Ita communiter Theologi, quos sequuntur NN. Salmant. in hoc tract. disp. 2. dub. 7. Cum quibus sit.

§. I.

Communis Theologorum resolutio.

93 **D**icendum est, iustum non posse per totam vitam per solas vires gratiae habitualis, & auxilia de lege communi ei correspondentibus vitare omnia venialia. Haec assertio sic proposita est de fide, & diffinita à Concil. Trid. sess. 6. can. 23. his verbis: *Si quis dixerit, hominem semel iustificatum posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de B. Virgine tenet Ecclesia, anathema sit.*

Et probatur ratione desumpta ex sacra Scriptura ad hanc formam redacta: Nam si homo posset cum solis viribus gratiae habitualis, & auxilijs ei correspondentibus vitare per totam vitam omnia peccata venialia, aliqui iusti defacto vitarent; hoc non potest admitti: ergo homo non potest cum solis viribus gratiae habitualis, & auxilijs ei de lege communi correspondentibus vitare omnia peccata venialia per totam vitam. Minor est certa de fide. Et colligitur ex pluribus testimonijs sacrae Scripturae, praecipue ex illo Proverb. 24. *Septies enim cadet iustus.* Et illud Matth. 6. *Dimitte nobis debita nostra. Iuxta quae verba diffinit Concil. Milevit. can. 7. Item placuit, ut quicumque dixerit, in oratione dominica ideo dicere sanctos, Dimitte nobis debita nostra, et non pro seipsis dicant, sed pro alijs qui sunt in suo populo peccatores, anathema sit.*

Sequela verò maioris, in qua tantum potest esse difficultas, probatur. Tum quia ad suavem Dei providentiam spectat omnem virtutem reducere ad actum suum proportionatum saltem in aliquibus individuis, ut inductive potest ostendi. Tum etiam: nam omnis virtus ex se sufficiens & completa ad aliquem actum postulat concursum Dei saltem pro aliquibus vagè ad talem actum: ergo defacto illum conferat: ac proinde si iustus habet in gratia habituali suffi-

cien-

cientes vires ad vitanda omnia peccata venialia aliquibus iustis conferat defacto auxilia efficiacia ad ea vitanda. Tum denique: nam, ut inquit Philos. 2. Physic. *Unumquodque sicut naturaliter agit, ita natum est agi,* & sicut natum est agi, etiam agit: ergo si iustus habet sufficientem vim ad vitanda omnia venialia, defacto sunt plures iusti, qui absque ulteriori specialia gratia illa vitant per totam vitam.

94 Respondetis cum Vega cap. 21. in Trident. sufficere impotentiam moralem, quam quilibet iustus habet ad vitanda omnia peccata venialia, ortam ex plurimis occasionebus & impedimentis ad ea vitanda, propter quae Deus nulli tenetur conferre sua auxilia efficiacia ad eorum vitacionem per totam vitam, quamvis nullus sit, qui ratione solius gratiae habitualis non habeat sufficientem potentiam physicam. Quam doctrinam complectitur, & late propugnat Illustrif. Godoy in praef. disp. 45. §. 4. & 5.

Sed haec evasio, & doctrina sustineri non potest. Primò, quia videtur esse contra mentem Concilij, quòd damnat esserentem, quòd homo cum sola gratia habituali potest absolute vitare per totam vitam omnia peccata venialia: atqui iuxta solutionem praefatam homo potest absolute cum sola ea vitare omnia peccata venialia per totam vitam: ergo non est sustinenda. ¶ Secundo. Nam ubi adest potentia physica, & expedita ex parte actus primi, etiam adest exigentia ad vitanda impedimenta orta praecise ex continuatis occasionebus peccandi venialiter: ergo etiam adest in iusto potentia moralis. ¶ Tertio, & ad hominem contra Godoy. Nam ipse arguit disp. 33. num. 18. contra Lorcam, concedentem potentiam physicam ad victoriam gravis tentationis cum impotentia tantum moralis, in hunc modum: Impotentia tantum moralis orta ex impedimentis extrinsecis solum arguit magnam difficultatem; sed haec, supposita potentia physica, est vincibilis: ergo similiter supposita potentia physica in homine iusto ad vitanda per totam vitam peccata venialia, poterit viribus solius gratiae habitualis, & communibus eius auxilijs superare omnem difficultatem ortam ex impedimentis extrinsecis: proindeque vel non adest in eo impotentia moralis, vel adest impotentia physica. *Explicatur:* Nam magna illa difficultas vel potest vinci absolute solis viribus gratiae habitualis; vel non? Si dicitur primum: ergo non est impossibile adhuc moraliter. Si dicitur secundum: ergo adest etiam impotentia physica; cum sola gratia non det vires sufficientes ad illam vincendam.

95 Probatum secundò ratione D. Thom. in praef. art. 8. & quaest. 24. de Verit. art. 12. Et reducitur ad hanc formam: nam ut homo iustus possit per totam vitam vitare omnia peccata venialia

venialia, omnino requiritur, quòd vel ligetur fomes, vel extinguatur; sed hoc non praestat, nec praestare potest gratia habitualis, quae communiter est in iustis: ergo cum solis viribus gratiae habitualis homo iustus non potest per totam vitam vitare omnia peccata venialia. Minor supponitur. Et maior probatur: Tum quia fomes non ligatur, aut non extinguitur esse causa, ut frequentissimè insulset motus contra rationem, eam praevinentes, ad quos sperandos necessaria est continua vigilia, & consideratio ad omnes circumstantias; sed gratia, quae non ligat, aut extinguit fomitem, non praestat vires ad illam continuam vigiliam, & considerationem: ergo nec praestat vires ad nunquam peccandum venialiter. Tum etiam: nam propterea homo in statu innocentiae poterat facile vitare omnia peccata venialia collectivè, quia fomes erat extinguitus, vel ligatus, ita ut nullus motus appetitus inordinatus insurgere posset, ut vidimus tract. praeced. disp. 3. dub. 2. append. idemque dici de B. Virgine: ergo, ut homo possit vitare omnia peccata venialia per totam vitam, necesse est, quòd fomes ligetur, aut extinguatur. Tum denique: nam eo ipso, quòd fomes non sit ligatus, petit, ut denegeret concursus ad vitandum consensum in omnibus eius motibus collectivè: ergo idem quod prius.

96 Obijcies contra hanc rationem: Non ligato, aut extinguito fomite, potest homo iustus vitare omnia peccata mortalia, ut constat in confirmatis in gratia: ergo etiam potest vitare omnia peccata venialia. ¶ Et confirmatur. Nam omnes motus omnino praevinentes rationem non sunt peccata venialia, sed solum illi qui per rationem possunt praeveneri: poterit ergo Deus ita assistere rationi continuis auxilijs efficacibus, ut omnem sensualitatis motum liberum vitet, & nulli consensum praebet, non obstantie fomite peccati.

Ad objectionem respondetur, concedendo antecedens; & negando consequentiam. Et disparitatis ratio est: quia sine plena advertentia possunt plura venialia committi, ad quae vitanda necessaria est perpetua vigilia ex parte hominis; & quia non potest homo, non extinguito fomite, esse semper vigil ad motus appetitus sensitivi vitandos, ut inquit D. Thom. non potest non plura peccata venialia ex imperfecta deliberatione committere. At quia peccata mortalia non committuntur, nisi ex plena deliberatione, nulla adest repugnantia in eo, quòd adhuc non extinguito fomite, & stante plena advertentia & vigilia, vitet omnia mortalia.

Ad confirmationem respondetur, quòd si Deus ita se gereret, ut homini iusto assisteret assiduis illius auxilijs, operaretur supra exigentiam gratiae habitualis communiter datae: vnde in collatione illorum consideret specialissima

C

gra-

gratia, quæ necessaria est ad vitanda omnia venialia collectivè, seu per totam vitam.

Alia obiectio potest proponi contra rationem. Ex qua videtur colligi impotentia tantum ad peccata venialia ex imperfecta deliberatione, & ex subreptione appetitus vitanda: ergo sine specialissima gratia poterit saltem homo vitare omnia peccata venialia, quæ sunt talia ex obiecto, aut ex parvitate materia: sicut hac ratione potest vitare omnia mortalia. Sed de hac re non nihil dicemus num. seq.

§. II.

Quadam quaestione, & earum resolutio.

97 **I**nquires primò: in quo consistat hoc privilegium, seu specialissima gratia, quæ confert vires ad vitanda omnia peccata venialia per totam vitam? Respondetur cum NN. Salm. in præf. num. 234. consistere in quadam dispositione intrinseca ligante fomitem. Ratio est: quia contrariorum contraria debet esse causa; sed fomies est radix, cur homo iustus non possit vitare peccata venialia per totam vitam: ergo ligatio, aut extinctio fomitis, quæ nequit fieri nisi per aliquam dispositionem intrinsecam, est causa, ut possit non peccare venialiter. ¶ Et confirmatur. Nam homo iustus sine hoc specialissimo privilegio potest vitare collectivè omnia peccata venialia, quæ sunt ex perfecta deliberatione, quia non est maior ratio de illis, ac de peccatis mortalibus; sed posita dispositione intrinseca, per quam fomies extinguitur, aut ligatur, homo non peccaret ex subreptione appetitus, cum ibi non essent motus pravenientes advertentiam rationis: ergo posset absolute vitare omnia, media illa dispositione extinguente, aut ligante fomitem.

Roboratur hoc per exclusionem aliorum modorum dicendi. Primus est Suarj, asserentis tom. 2. in 3. part. sect. 4. art. 4. hoc privilegium consistere in dono confirmationis ad non peccandum venialiter. Qui refellitur sic: nam donum confirmationis præstat quandam impotentiam ad non peccandum; sed, stante privilegio ad posse non peccare venialiter, potest stare potentia ad peccandum venialiter, ut liquet in Adamo, qui habuit potentiam ad non peccandum mortaliter, & venialiter, & simul habuit potentiam ad peccandum mortaliter, ut experientia docuit: ergo privilegium hoc non consistit in dono confirmationis, sed vnum ab alio est separabile, licet in B. Virgine à prima sui sanctificatione simul existerent.

Secundus est Vazquez, docentis in præf. disp. 189. cap. 16. num. 14. privilegium hoc consistere in assiduis cogitationibus congruis, quas Deus conferret sic privilegio: in singulis occasionebus peccandi venialiter: cum quilibet

quilibet homo eligatur à Deo: sed non fuisset sufficienter disposita, ut esset Mater Dei, nisi Deus concederet privilegium nunquam peccandi venialiter: alias peccatum illius aliquomodo redundaret in filium, sicut honor parentum redundat in prolem: ergo defectò concessum fuit B. Virgini prædictum privilegium. Nec in hoc immoratur, quia plures consentiunt hoc esse de fide: & nullus est, qui saltem erroris censura non inurat eum, qui oppositum assereret.

Posterior propositio probatur: Nam nullus, etsi maxima sanctitate polleat, excipiens est ab illa regula generali Scripturæ, in qua docetur, nullum esse hominem, qui non peccet, nisi magno fundamento ex ipsa Scriptura, vel ex Concilijs & SS. PP. desumpto; sed nullus Sanctorum expressè excipitur ab hac regula in Script. aut Concil. & SS. PP. quominò Trid. solum excipit B. Virginem, ut vidimus, & de alijs Sanctis inquit August. lib. 1. contra duas epist. Pelagian. cap. 14. *Sine peccato autem in hac vita neminem dixerim*: ergo nulli Sanctorum concessum fuit huiusmodi privilegium nunquam peccandi venialiter.

Unde asserendum est, illam intrinsecam dispositionem radicaliter consistere in gratia habituali affecta aliquo modo specialis, ex qua dimanant quadam perfectiones speciales distinctæ à communibus virtutibus, & iuxta maiorem, & minorem perfectionem præfati modi plus, minusve ligant appetitum sensitivum. Hincque fit, quod in aliquibus possint dari ad vitanda præcisè peccata mortalia collectivè, iuxta modum præscriptum num. 87. In alijs ad hoc, ut possent vitare collectivè omnia peccata venialia (cum potentia saltem antecedenti ad peccandum etiam mortaliter) ut in B. Virgine. In alijs verò ad hoc, ut non solum possint vitare omnia peccata tam mortalia, quam venialia, sed etiam ut non possint primò peccare venialiter, quamvis possent peccare mortaliter: ut in Adamo, in quo erat perfectus status integritatis, & in alijs non nisi per participationem. Denique in alijs ad hoc, ut non possent peccare mortaliter, aut venialiter, ut in beatis.

98 **I**nquires secundò, quibus concessum fuit privilegium nunquam peccandi venialiter? Respondetur hoc privilegium fuisse concessum soli B. Virgini. Hac resolutio, cum habeat particulam exclusivam, habet duas exponentes. Prima est, *B. Virgo habuit privilegium vitandi peccatum veniale per totam vitam*. Secunda, *Nullus alius à Virgine fuit prædicto privilegio ditatus*.

Prior autem probatur ex Trident. can. relato num. 93. vbi expressè docet Beatæ Virgini fuisse concessum. Et confirmari potest ex SS. PP. quorum testimonia supervacaneum est recensere. Probari tamen potest quadam congruentia D. Thom. quem adducit 3. part. quest. 27. art. 4. & potest reduci ad hanc formam: Nam B. Virgo electa fuit ad hoc, ut esset vera Mater Dei: ergo decens fuit, ut à Deo disponeretur ad tam præexcelsam dignitatem, sicut disponit ad quodlibet ministerium, pro quo qui-

libet homo eligatur à Deo: sed non fuisset sufficienter disposita, ut esset Mater Dei, nisi Deus concederet privilegium nunquam peccandi venialiter: alias peccatum illius aliquomodo redundaret in filium, sicut honor parentum redundat in prolem: ergo defectò concessum fuit B. Virgini prædictum privilegium. Nec in hoc immoratur, quia plures consentiunt hoc esse de fide: & nullus est, qui saltem erroris censura non inurat eum, qui oppositum assereret.

Posterior propositio probatur: Nam nullus, etsi maxima sanctitate polleat, excipiens est ab illa regula generali Scripturæ, in qua docetur, nullum esse hominem, qui non peccet, nisi magno fundamento ex ipsa Scriptura, vel ex Concilijs & SS. PP. desumpto; sed nullus Sanctorum expressè excipitur ab hac regula in Script. aut Concil. & SS. PP. quominò Trid. solum excipit B. Virginem, ut vidimus, & de alijs Sanctis inquit August. lib. 1. contra duas epist. Pelagian. cap. 14. *Sine peccato autem in hac vita neminem dixerim*: ergo nulli Sanctorum concessum fuit huiusmodi privilegium nunquam peccandi venialiter.

Et confirmatur. Nam si aliquibus fuisset concessum, maxime à Apostolis, qui primitias spiritus acceperunt, & ad maiorem dignitatem præter dignitatem Matris, electi sunt, itaut meritò dixerit D. Thom. ad Ephes. lect. 3. *Ex quo apparet temeritas illorum (ut non dicam error) qui aliquos Sanctos presument comparare Apostolis in gratia, & in gloria*: sed hoc privilegium non fuit concessum Apostolis, cum de Petro dixerit Paulus ad Galat. 2. quòd reprehensibilis erat: ergo.

99 **S**ed obijcies primò contra primam partem. Beata Virgo recitabat orationem dominicam, & pronuntiabat, seu orabat illis verbis Matth. 6. *Dimitte nobis debita nostra*: ergo habebat aliqua venialia, quæ ei dimitterentur. ¶ Et confirmatur nonnullis testimonijs SS. PP. Nam imprimis Chrysof. homil. 20. in Ioann. ait, B. Virginem ex amore ambitionis petijisse à Filio miraculum conversionis aquæ in vinum. Deinde August. in lib. Quest. veteris, & novi testamenti quest. 73. ait, B. Virginem habuisse dubitationem fidei in passione filii.

Obijcies secundò contra secundam partem. Nam possibile est dari talem gradum sanctitatis in aliquibus, ut nunquam peccent; alias hoc cedit in maiorem gloriam Dei, & meritum Christi: ergo defectò alijs præter Virginem hoc privilegium concessum est. ¶ Confirmatur ex PP. Nam D. Greg. lib. 3. Moral. cap. 3. & Beda in hom. de Decollatione Ioannis inquit: *Quis nostrum dicere audeat, B. Ioannem esse, vel dictum, vel habitum, vel victum peccatum?* D. August. lib. de Spiritu, & littera cap. 1. docet, non esse perniciosum errorem asserere aliquem hominem fuisse in hac vita sine

villo peccato. Hocque de Ioanne cantat Ecclesia in suo hymno: *Antra deserti teneris sub annis &c.*

Ad primam obiectionem respondetur, quòd B. Virgo nomine totius Ecclesiæ potuit orare illis verbis, *Dimitte nobis debita nostra*. Nec hoc ad alios Sanctos extendendum est, quia de sola Virgine constat privilegium. ¶ Ad confirmationem, & testimonium Chrysof. respondet D. Thom. 3. part. quest. 27. art. 4. ad 3. quòd excessit quantum ad hoc: vel hoc dixisse sequens aliorum sententiam. Ad testimonium D. August. responderet ad 2. non loqui de dubitatione contra fidem culpabilem, sed de stupore quodam ex admiratione cauto, qua Deum verum in carne pati, & mori mirabatur.

Ad secundam obiectionem respondetur, sequi ex ea, si aliqui præter, alios præter B. Virginem fuisse conceptos abque originali. Unde sicut in hoc standum est declarationi Ecclesiæ, ita in privilegio nunquam peccandi venialiter. ¶ Ad confirmationem respondetur, Gregorium, & Bedam intelligendos esse de aliquo peccato externo, quo homines offenderet, & mortem mereretur. Ad testimonium D. August. dicendum est, non esse errorem concedere, quòd aliquis vitavit venialia, si habuit privilegium, quale concessum fuit B. Virgini. Et cum conditionalis nihil ponat in esse, nequit ex eo inferri, quòd absolute fuit aliquis Sanctus, què nunquam peccavit venialiter. Vel potest dici, quòd non est error in fide hoc concedere aliquibus Sanctis, & propterea non damnantur Authores, qui dicunt non esse de fide. Sed non est idem, D. August. docere non esse errorem, ac absolute asserere fuisse defectò aliquos Sanctos, quibus hoc privilegium concessum est. ¶ Ad illud de hymno potest dici, quòd B. Ioannes fuit immunis à peccatis venialibus, quæ sermone committuntur, ex quo non infertur vitasse absolute omnia.

Adversus nostram conclusionem, & sententiam catholicam solum obest illud vulgare, etsi difficile, argumentum, desumptum ab obligatione qua quis tenetur vitare omnia peccata venialia. Sed quia non addit maiorem difficultatem, quam si applicaretur peccatis mortalibus collectivè; propterea

satis constat ex dictis
num. 80.



non est à culpa immunis, quia ex propria sua culpa devenit in illam necessitatem. Et hoc est, quod dicit Augustinus, quod quis homo noluisset vitare peccatum, dum potuisset, insipientem est ei, quod non possit, eum velit.

104 Sed obijcies: quod hæc solutio non coherere videtur cum ijs, quæ diximus num. 77. impugnando similem evasione: ergo non est admittenda.

Respondetur satis esse ad hoc, ut impotentia sit voluntaria, quod casus vrgentis tentationis gravis proponatur saltem in confuso: quo pacto omni homini pervenienti ad usum rationis proponitur, quod occurrunt graves tentationes decursu totius vite. Sicut omnes damnati tenentur ad operandum bene, in suppositione quod operentur, & peccant semper, ac male operantur: quia licet sint omnino necessitati ad male operandum, in suppositione quod operentur; at per sua peccata in hac vita commissa in talem necessitatem inciderunt, habueruntque cognitionem saltem confusam illius status, & propterea non excusantur à peccatis suis. Hæc autem doctrina non est sufficiens ad hoc, ut non observatio præceptorum, quæ affirmativa sunt, & occurrunt per totam vitam, imputetur homini lapsi, si alias non habet sufficientes vires ad eorum observationem: quia hæc præsciunt à statu subiecti, & obligant in determinatis temporibus, proindeque requiritur prævisio certa illorum, & determinata, ut liquet in ebrio. Status autem peccati ex se est magis occasionatus ad graves tentationes; & eo ipso, quod quis prævideat statum, prævidere debet, & prævidet in confuso occursum prædictarum tentationum. Unde impotentia contracta ex vi status peccati est voluntaria in causa.

105 Arguitur secundò: Nam tentatio gravis non tollit indifferentiam iudicij, alias totaliter excusaret à peccato, ut docet Div. Thom. supra quest. 77. art. 7. sed stante indifferentia iudicij, etiam stat potentia ad vtrumlibet: ergo manet in homine lapsi sufficiens potentia ad resistendum tentationi.

Confirmatur primò: Voluntas potest ob suam innatam libertatem eligere illud bonum, quod minus allicit voluntatem, & minus apparet, relicto maiori bono, & quod secundum se magis allicit: ergo licet, stante gravi tentatione ad bonum aliquod sensibile, hoc magis allicit voluntatem hominis lapsi, quam bonum virtutis contrarium; poterit tamen ob suam libertatem, & sine vilo auxilio gratiæ eligere hoc posterius, & sic vincere gravem tentationem.

Confirmatur secundò: Nam ad non succumbendum tentationi gravi sufficit, si Deus omnem suum concursum denegat, ut si graviter quis tentaretur ad odium Dei: ergo non est necessarium gratiæ auxilium.

Pro solutione argumenti supponi debet ex D. Thom. loco in eo relato, quod tentatio non impedit totaliter usum rationis, alias non esset peccatum adhuc veniale, nisi quis præstaret voluntarie causam vrgentissimæ passionis, quæ totaliter usum rationis impedit. Quo supposito, respondetur, quod tentatio gravis non tollit totaliter indifferentiam iudicij speculativi; impedit tamen iudicium practicum circa bonum contrarium bono delectabili, ad quod allicit tentatio gravis: illaque indifferentia iudicij est adeo tenuis, ut in sensu composito tentationis gravis non possit elicere proprijs viribus iudicium practicum circa hanc propositionem *fornicatio hic & nunc non convenit*; quinimò ex se efficaciter movet ad iudicium practicum circa propositionem contrariam cum sufficienti cognitione, quod fornicatio est mala ex vi præcedentis cognitionis speculativæ: hoc factum est, ut peccet, & quod non possit resistere tentationi sine auxilio gratiæ inducente ad primam cognitionem practicam. Nec hoc maiorem, aut aliam difficultatem afferet, quam argumentum præcedens.

Ad primam confirmationem respondetur, antecedens esse verum, si intelligatur de minori bono secundum se; secus verò de minori bono, prout representatur per iudicium practicum intellectus: quia voluntas in omnibus sequitur ductum intellectus. Hoc maxime resplendet in tentatione gravi, quæ non solum est causa, ut bonum, ad quod inducit, apparet hic & nunc maius bonum; sed etiam vehementer allicit obnubilando rationem: ideoque voluntas non potest eligere bonum honestum oppositum, nisi gratia Dei illustret rationem, tam speculativam, quam practicam.

Ad secundam respondetur, casum illum iuxta providentiam ordinariam esse impossibilem. Et dato, quod Deus denegaret omnem suum concursum, dum quis est graviter tentatus ad odium Dei v. g. hoc esset specialis gratia.

106 Arguitur tertio: Supponamus, quod quis cadit in statum peccati propter non auditionem sacri, & cum antea esset continens, postea vrgetur gravi tentatione ad libidinem: poterit hic ex assuefactione ad bonum castitatis, & propter bonum illius vincere prædictam tentationem: ergo non est necessaria specialis gratia in homine lapsi ad vincendam omnem gravem tentationem. Antecedens probatur: Tum quia in tali hypothesi habet homo adhuc lapsus maiorem inclinationem ad bonum castitatis, quam ad bonum oppositum. Tum etiam: quia, non obstanti in aliquo homine iusto vehementi inclinatione ad bonum honestum virtutis, potest ex sua innata libertate, & absque prævia aliqua tentatione gravi eligere bonum contrarium: cur ergo in tali hypothesi non poterit vincere tentatio-

tationem ad bonum honestum castitatis? Tum denique: nam pot. st. homo lapsus ob amorem suæ, quod est bonum temporale, vincere illam tentationem: ergo & propter bonum ipsius castitatis. Ad hæc: Nam experientia constat, quod iudei, & hæretici vitam exponunt propter defensionem sui erroris: ergo poterit etiam homo lapsus vincere tentationem adeo non gravem provocantem ad libidinem.

Ad argument. respondetur negando antecedens. Et ad primam eius probationem dicendum est, quod in illa hypothesi tentatio ad libidinem non facile foret gravis: hæc enim, ut supposuimus, pensanda est ex dispositione subiecti, debetque inclinari in opus libidinosum cum longe maiori excessu, quam habitus castitatis inclinatur in proprium bonum honestum; alias non reputabitur tentatio gravis. Et in hoc casu, si forte illi eveniret, necessaria est gratia specialis ad illam vincendam. Ad secundam: Respondetur, quod regulariter loquendo non est in homine iusto tanta inclinatio ad bonum virtutis, ut tollat potentiam ad malum oppositum, quam ex intrinseca sui limitatione amplissime habet: alias homo per eam esset impeccabilis saltem in determinata materia illius virtutis, & forte in omni propter connexionem virtutum in gradu perfecto, ut esset illa virtus inclinans adeo vehementer ad bonum virtutis. Unde non est mirum, quod possit eligere malum contrarium. At gravis tentatio, si gravis tentatio est, ex se vehementer allicit ad malum, & in homine lapsi liberum arbitrium est debilitatum, & attenuatum ad bonum ex aversione a summo bono: quibus circumstantijs non relinquitur potentiam proximè expeditam ad illi resistendum, nisi divina gratia adiuvetur. Ad tertiam: Respondetur, quod homo lapsus poterit ob bonum suæ vincere gravem tentationem provocantem ad libidinem quoad effectum externum sine gratia speciali, secus verò quoad effectum internum, quia cum affectu interno ad libidinem non est incompatibilis fama temporalis. ¶ Ad additamentum respondetur, quod si iudeus, aut hæreticus exponit vitam ob defensionem sui erroris; tunc vincit vnam tentationem gravem, succumbendo alteri graviori, ut iam supposuimus.

107 Arguitur vltimò: Actus quo quis resistit tentationi gravi, de qua procedit dubium, est naturalis: ergo ad eum sufficientes vires naturales, nulla superaddita gratia. Consequentia videtur legitima: nam omnis actus naturalis est proportionatus voluntati, nisi ex se afferat incompossibilitatem cum peccato, ut est amor Dei efficax naturalis.

Confirmatur. Quia non apparet, quæ gratia requiratur necessario ad victoriam gravis tentationis: siquidem non est gratia habitualis, alias in statu peccati nulla posset vinci tentatio

gravis: nec est concursus Dei efficax, quia hic non dat posse, sed eligere: neque auxilium aliquod supernaturale, quia actus, quo vincitur tentatio est naturalis: neque apparet auxilium aliquod naturale dans posse, vel assignetur: ergo non requiritur gratia specialis ad victoriam gravis tentationis.

Ad argument. respondetur, concedendo antecedens; & negando consequentiam. Cuius probatio non convincit: siquidem amor Dei efficax naturalis ex duplici capite potest esse improporionatus voluntati: & propter incompossibilitatem cum statu; & ex hoc capite nullus actus in particulari est improporionatus: & propter ingruentiam gravis tentationis; quæ, si vehementer vrgat hominem lapsum, reddit actum improporionatum propter debilitatem liberi arbitrij, & propter nimiam inclinationem, quam inducit ad malum oppositum: & ex hoc capite omnis actus, quo vincitur qualibet gravis tentatio, licet sit naturalis, est improporionatus viribus proprijs hominis lapsi.

Ad confirmationem respondetur: fatendo, non requiri necessario gratiam habituales, nec auxilium aliquod supernaturale; propter rationes in ea assignatas: nec sufficere iuxta providentiam ordinariam Dei concursum Dei efficacem, quem quidem regulariter dispensat iuxta dispositionem subiecti; & dispositio connaturalis hominis lapsi, vrgente tentatione gravi, potius dicit exigentiam ad negationem concursus propter vehementem inclinationem ad malum. Sed non est difficile assignare aliquam gratiam specialem intra ordinem naturæ, quæ pertinet ad actum primum: & hæc est auxilium aliquod transiens naturale dans posse, ut vehementer allicit intellectum, illumque quasi elevet ad hoc, ut cognoscat bonum virtutis, & expellat, seu impediat cognitionem, qua proponitur bonum apparem cum tanta vehementia. Hacque illustratione præhabita, intellectus elicet cognitionem, seu iudicium practicum, quo proponit esse convenientius hic & nunc eligere bonum virtutis: quod iudicium infallibiliter sequitur voluntas, & resistit tentationi. Nec intellectus habet potentiam proximam, & expeditam in sensu composito statum peccati, & tentationis gravis ad formandum prædictum iudicium practicum: cum tentatio gravis obnubilat rationem, & hæc in linea practica non parum debilitetur per peccatum.

108 Sed dices, hinc sequi hominem adhuc iustificatum indigere speciali gratia ad vincendam gravem tentationem: siquidem in eo manet rebellio appetitus contra rationem, ex qua provenit virtum debilitas, & tentatio gravis in hac suppositione etiam nimis allicit ad malum; hoc non videtur verosimile propter proximè dicenda: ergo nec requiritur in homine lapsi ali-

qua gratia specialis ad victoriam gravis tentationis.

Ad hoc respondet Illust. Godoy in praf. disp. 43. num. 50. concedendo sequelam, convictus ratione in ea inclusa. Sed probabilius respondetur cum NN. Salm. in praf. disp. 3. num. 222. hominem iustificatum ex communi ratione tentationis gravis non egere gratia alia speciali ad victoriam illius. Nam quamvis homo iustificatus saepe saepius pravis habitibus sit affectus, ex quorum affectione simul cum gravi tentatione vel carnis, vel demonis allicijatur vehementer ad malum; attamen non minus inclinatur ad bonum per gratiam habitalem cum virtutibus eam consequentibus, virtijs ipsijs, & toti supposito dominantem: ad quod accedit SS. Angelorum custodia, & alia subsidia statui gratie correspondentia. ¶ Et si dicas, his omnibus penfatis tentationem non fore gravem respectu iustificati, iuxta descriptionem traditam num. 100. Potest responderi, sufficere, quod dicatur *gravis* respectu naturae secundum se; & ita verificatur, quod ad illam eandem tentationem vincendam sufficit status gratiae; ad quam non sufficit natura secundum se, sive dicatur *gravis*, sive non dicatur reduplicato statu gratiae. Diximus ex communi ratione tentationis *gravis*. Nam si accidat, quod tentatio sit gravissima, quales sunt, quas supra num. 102. depinximus, convenimus cum Illust. Godoy, praeter vires communes gratiae habitualis, & auxilia generalia ei debita, esse necessariam aliam specialem gratiam, quia illa non sufficit ad superandas difficultates adeo urgentissimas. Haec autem maiorem lucem accipient ex proxime dicendis.

§. III.

Cuiusdam quaestiuicula resolutio.

109 **I**nquires, an homo in puris naturalibus posset absque speciali gratia resistere gravi tentationi illius status? ¶ Magister Ferre in praf. quaest. 5. num. 347. §. Ad tertium inconveniens, videtur inclinare in partem negativam, & quotquot negant maiores vires in homine puro, ac in homine lapsio. Nos vero respondemus affirmativè cum NN. Salm. in praf. disp. 2. à num. 262. vbi rem hanc expresso, & satis ingeniosè, ut mos est, pertractant.

Et probatur ratione: Quia non resistentia gravis tentationis imputatur homini ad culpam; atqui nullus peccat in eo, quod absolute vitare non potest, ut supra num. 76. probatum est: ergo potest absolute resistere gravi tentationi absque vlla gratia.

Huic rationi potest primò occurrì, quod homo ille non teneretur resistere gravi tenta-

tionis, ac proinde non resistentia non imputaretur ei ad culpam. Et dato quod teneretur resistere, teneretur etiam Deus conferre, vel saltem offerre auxilia necessaria ad resistendum. Haec autem evasio quoad utramque partem satis impugnata manet ex dictis num. 45. & 46.

Potest responderi secundo, quod in illo statu non occurreret tentationes graves iuxta viayem providentiam Dei, ad quem spectat non permittere, ut aliquis tentetur supra id quod post; ut inquit Apost. 1. ad Corint. 10. his verbis: *Fidelis autem Deus, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis.*

Contra est primò: quia nititur petitioni principij. *Secundo*: Quia alias ex hac parte nullum foret discrimen inter hominem in puris naturalibus, & hominem conditum in integritate naturae. ¶ *Tertio*, & *ultimo*: Quia iuxta sua principia intrinseca non daretur aliquid, per quod exigeret carentiam praedictarum tentationum; quin potius talis foret eius dispositio, ut saltem post longum tempus exurgeret aliqua gravis tentatio orta ex rebellionè appetitus: ergo vel fatendum est, quod in illo statu darentur tentationes; vel concedendum est, quod praeservatio ab illis esset ingens gratia indebita praedicto statui. *Adde*: quia procedimus in suppositione, quod datur.

110 Respondebis tertio, quod homo in illo statu haberet potentiam antecedentem ad resistendum: & hoc sufficit, ut non resistentia imputaretur ei ad culpam; quamvis non haberet potentiam consequentem, ex cuius carentia necessaria est gratia. Quae solutio deducta est ex doctrina Godoy loco supra relato §. 5.

Haec evasio (praeterquamquod confirmat nostram resolutionem, quae non tam procedit de actuali resistentia, quam de potentia ad resistendum) refellitur primò ex dictis num. 94. & alibi. Nam potentia potenti, & expedita ex parte actus primi debitum est aliquando auxilium ad operandum: ergo in homine puro, vel non est potentia potens expedite per modum actus primi vincere tentationem gravem, vel adest etiam potentia consequens, seu moralis. ¶ *Secundo*: Nam supponamus, quod homo purus habet aliquid impedimentum, ratione cuius dicitur non habere potentiam consequentem ad vincendam gravem tentationem: Inquiri, vel potest absolute, & simpliciter vincere tale impedimentum; vel non? Si dicas primum: ergo debitus est ei concursus ad illud vincendum, & consequenter non est gratia. Si dicas secundum: ergo non habet adhuc potentiam antecedentem: sicut qui est catena ligatus, & non potest illam rumpere, non habet absolute potentiam antecedentem ad ambulandum.

111 Respondebis quarto, sufficere, quod homo

homo in puris naturalibus posset resistere tentationi gravi ex aliquo motivo pravo, ut non resistentia imputetur ei ad culpam. Quae evasio deducta est ex doctrina Godoy loco citato num. 20. & Ferre loco etiam supra relato à num. 353.

Contra est primò. Nam valde durum videtur, quod homo viator obligetur ad aliquid, quod non potest vitare, nisi peccando. ¶ *Secundo*. Nam illud motivum pravam, vel alliecit vehementius voluntatem; vel non? Si dicas primum: ergo non est vincere tentationem gravem, sed alteri gratia succumbere; quod est idem, ac non esse tentationem gravem in conspectu alterius. Si dicas secundum, itaut moveat in aequali gradu, ac moveret obiectum honestum: ergo scit ex hoc non posset movere, nec posset ex fine inhonesto. ¶ *Tertio*. Nam haec evasio non habet locum in victoria tentationis gravis circa amorem Dei naturalem super omnia: quia hic actus non potest ordinari ad finem pravam; alias non esset amor Dei super omnia.

112 Obijcies tamen primò: Nam posset dari in illo statu tentatio adeo gravis, ut eius victoria importet tantam difficultatem, quanta esset in observandis collectivè omnibus praecipis naturalibus; ut si tyrannus minaretur mortem, nisi à vero cultu Dei recedat; sed homo in puris naturalibus non posset sine gratia observare omnia praecipia collectivè, ut vidimus numer. 80. & deinceps: ergo nec posset vincere sine speciali gratia tentationem adeo gravem.

113 Obijcies secundo: Homo lapsus habet easdem vires, ac homo in natura pura, quo principio vti fuimus ad aliud num. 49. sed homo lapsus sine speciali gratia non potest gravi tentationi resistere: ergo nec homo in natura pura.

Ad primam obiectionem respondetur, negando maiorem. Siquidem ad vincendam tentationem illam adeo gravem satis est virtus illa, qua homo posset Deum ut finem naturalem efficaciter, & super omnia diligere, ut ex se liquet; homo autem in natura pura posset viribus proprijs Deum ut finem naturalem efficaciter, & super omnia diligere: & propterea eisdem viribus posset vincere tentationem minitantem usque ad mortem. Quod autem non posset homo in illo statu observare collectivè omnia praecipia, oritur ex eo, quod ab intrinseco est defectibilis, habetque rebellionem appetitus contra rationem: ratione cuius dispositionis, licet non petat in hoc, vel illo praecipio determinato, aut in hoc, vel illo tempore deficere; petit tamen in aliquo vagè deficere; & hac de causa non potest observare collectivè omnia praecipia naturalia, aut per longum tempus. Ut paritas teneret, debebat inferri,

Tom. III. Paul. Theol. Salm.

quod sicut homo in natura pura suis praecise viribus non potest observare omnia praecipia collectivè, aut per longum tempus, nec potest habere amorem Dei super omnia perfectum, & constantem; ita non potest resistere omnibus tentationibus gravibus collectivè: quod libenter concedimus.

Ad secundam respondetur, distinguendo maiorem: *habet quoad omnia easdem vires radicales, concedo maiorem; proximas, & expeditas, nego maiorem.* Et concessa minori; negatur consequentia. Nam, ut alia omittamus, certum est, quod homo purus habet vires tam radicales, quam proximas expeditas ad conversionem efficacem, & super omnia in Deum finem naturalem: quibus tamen caret homo lapsus, quamvis eas habeat radicales. Praedicta autem conversio non parum conducit ad resistentiam gravis tentationis: cum plus debeat appetitari bonum honestum, quam bonum delectabile, ad quod vehementer vrget gravis tentatio, & ad illam appetitionem maiorem requiritur affectus efficacissimus, quo vincatur vehemens propensio ad bonum delectabile orta ex tentatione gravi, & alijs adiunctis: qui affectus difficile potest haberi, nisi praesupposito amore efficaci Dei, vel implicite in illo contento. Ex quibus patet, quod ex eo, quod homo lapsus non habeat sufficientes vires ad resistentiam gravis tentationis, non sequitur, quod illas non habeat homo in puris naturalibus. Quoad alia, quae non important tantam difficultatem, nec exposcunt praedictam conversionem, sed composibilia sunt cum statu peccati: fateatur hominem lapsum, & purum habere easdem vires. Quamvis semper concedendum sit, quod in homine lapsio sunt magis debilitatae ad bonum propter impedimentum peccati, conversionem habitalem ad bonum commutabile, aversionem à Deo vitio sine tam naturali, quam supernaturali, & forte propter alias dispositiones pravas, seu habitus vitiosos, qui in omni homine lapsio post primum insans vsus rationis reperiuntur, sicut & aliquid peccatum personale: quibus omnibus caret homo impuris naturalibus conditus ex meritis praedicti status.

DUBIUM VII.

An homo proprijs viribus possit proximè, vel remotè se disponere ad iustificationem?

114 **H**OC dubium excitat expressè D. Thom. in hac quaest. 109. art. 6. In quo apparet recta eius methodus: siquidem in anterioribus comparavit, ut vidimus, vires naturales per ordinem ad naturalia, post quae rectus ordo postulabat, ut eas con-

Dd fer.

ferret ad supernaturalia. Circa quæ primò inquirunt art. 5. *An homo merevi possit vitam æternam?* A quæ difficultate nunc superfedemus, quia de ea iterum agit infra quæst. 114. art. 2. & nos agemus cum ipso, dum de requisitis ad meritum iusti agamus in proprio tract. Ideo immediate succedit dubium in titulo propositum.

Pro cuius luce notandum est primò, de ratione dispositionis ad aliquam formam esse subiectum ex se indifferens ad eam aptare, & appropinquare, expurgando illud quandoque ab impedimentis pro receptione formæ, si in illo præxistebant. ¶ Nota secundò, dispositionem esse triplicem: aliam proximam & ultimam, quæ connectitur necessariò cum forma: Quæ solet bipartiri in antecedentem, & consequentem: antecedens est illa, ad quam consequitur forma, sicut calor vt septem: consequens est, quæ consequitur formam, sicut calor vt octo. Alteram remotam: & est illa, quæ licet non proximè determinet subiectum ad receptionem formæ; appropinquat tamen illud ad receptionem dispositionis ultimæ & proximæ, sicut calor vt sex. Tertiam remotissimam: & est illa, quæ reddit subiectum minus ineptum ad recipiendam formam; sed quia nullo modo determinat illud positive ad formæ receptionem, propterea improprie, & secundum quid appellatur *dispositio*; & hoc pacto scicitas secundum se potest dici dispositio ad formam ignis.

Iuxta hanc diversitatem facile possunt assignari in linea supernaturali tria genera dispositionum: itaut alia sit proxima & ultima, vt actus charitatis, & contritio perfecta supernaturalis. Altera sit remota, vt actus fidei, & spei supernaturalis, timor inferni, & alij actus ex auxilio supernaturali procedentes. Et tertia sit remotissima, vt opera naturalia moraliter bona. Præfens controversia, quæ est satis gravis, de his omnibus dispositionibus intelligenda est.

Nota tertio, dispositionem posse vterius dividi in dispositionem physicam, & dispositionem præcisè moralem. Dispositio enim physica est illa, quæ seipsa munus dispositionis exercet, sive effectus sit physicus, sive moralis. *Moralis* verò dicitur illa, quæ illud non exequitur nisi dependenter ab alterius voluntate, hoc est, sollicitando eam, vt conseruet formam; quin dispositio ipsa aliquem influxum præstet in illam immediate: quo pacto meritum dicitur causa moralis gloriæ, estò hæc sit quid physicum, quia Deus se solo producit gloriam, allèctus tamen à meriti bonitate. Econtrà peccatum actuale producens habituale dicitur causa physica, estò effectus sit moralis, quia se solo illud producit. Dispositio verò moralis potest adhuc esse per modum impetrationis præcisè: vel per modum meriti, sive de congruo, sive de

condigno. Et de his omnibus procedit quæstio.

Pro qua supponendum est tanquam omnino certum de fide, nullam adulem de lege ordinari iustificari sine aliqua propria dispositione. Ita diffinit Trident. sess. 6. can. 4. & 9. Et deducitur hoc dogma catholicum ex pluribus testimonijs sacre paginæ, vt ex illo Prov. 16. *Hominis est preparare animam.* Et ex illo 1. Reg. 7. *Preparate corda vestra Domino.* Zachar. 1. *Convertimini ad me:* Et ex alijs innumeris, in quibus petit Deus, vt aperiatur ei pulsanti. ¶ Et probari potest nonnullis congruentijs efficacibus: Nam imprimis omnis adulem non iustificatus peccavit actu proprio, & propterea voluntarie: ergo congruum est, quòd ad sui iustificationem se præparet per actus proprios, detestando peccata. ¶ Deinde: Nam in naturalibus forma non recipitur nisi in materia disposita: ergo nec gratia iustificans. Consequentia à paritate constat: quia gratia non destruit, sed perficit naturam, illi se accommodat. ¶ Tandem: Quia non esset vlla ratio; cur vnus iustificetur, & non alius. *Adde:* Quia tota Ecclesia, & omnes Sancti id vnium in suis concionibus petunt à peccatoribus, vt se convertant in Deum, medijs amore, & timore, fide, & spe, atque peccatorum suorum dolore; quæ omnia vana essent, nisi se præparent ad gratiam.

Ex quibus rectè deducitur, preparationem hanc esse homini voluntariam. Et ita diffinit Trident. loco relato can. 4. Quibus suppositis & scitis, his nostra, & certè gravissima est tam cum Pelagio, quam cum Catholicis.

115 Pelagius enim docebat, quòd homo viribus solius naturæ potest elicere quosdam actus, ad quos gratia naturali sequela, vel per modum præmij infallibiliter sequatur. Sed Catholici omnes cum nonnullo moderamine procedunt. Nam Scotus in 4. dist. 14. quæst. 2. §. *De secundo*, Durand. quæst. 6. Prolog. & 2. dist. 28. quæst. 1. & Nominales dixerunt, naturalem artritio-nem, seu contritionem esse dispositionem sufficientem ad gratiam habitualem, ipsamque mereri de condigno. Prò qua refertur Caiet. tom. 2. Opusc. tract. 4. Qui tamen hanc sententiam Scoti moderatur, dicens, quòd peccator per huiusmodi dolorem naturalem de peccatis, & naturalem dilectionem Dei non mereatur adhuc de congruo gratiam habitualem; sufficienter tamen disponitur ad ipsam gratiam, superaddita acceptatione Dei extrinseca, seu aliquomodo supernaturali. Cui adhaerent M. Cano, & Soto, dicentes esse sufficientem dispositionem cum sacramento.

Semipelagianij asserunt, quòd licet homo non posset consequi gratiam habitualem, & salutem æternam absque dispositione aliqua supernaturali, qua parte recedebant à Pelagio; poterat tamen se proximè disponere viribus naturæ ad primum auxilium supernaturale.

Re-

Recentiores Societatis docent, dari dispositionem naturalem, ad quam infallibiliter sequatur gratia, non quidem ex vi illius dispositionis, sed ex liberalitate Dei, & ex lege vniuersali infallibili. Ita Molina in sua Concord. quæst. 14. art. 13. disp. 10. & disp. 14. memb. 5. §. *Post hanc*, Lelsius opusc. de Gratia efficaci in append. ad cap. 10. num. 24. Heric. 1. part. tract. 3. disp. 27. Suarez lib. 4. de Auxil. cap. 15. num. 38. Granad. controverf. 8. de Gratia tract. 6. disp. 1. sect. 7. num. 58. Vazquez 1. part. disp. 91. cap. 12. & sect. 2. disp. 190. Concedens tamen, omnia opera bona naturalia, quorum intuitu Deus infallibiliter confert auxilia supernaturalia, esse donum Dei media cogitatione congrua, vt vidimus num. 16. Quem modum dicendi satis probabilem reputat sapientissimus Mag. Serna in suo tract. de Merito iusti art. 1. quæst. 2. & art. 5. inter opera Mag. Ferre tom. 3. in 1. 2.

At NN. Salmant. in præf. disp. 3. dub. 4. & quatuor sequentibus asserunt cum communi sensu Theologorum, opera bona naturalia nullo modo, nec per modum meriti, nec per modum impetrationis conducere ad modum dispositionis prædicte ad iustificationem, sive ad recipienda auxilia aliqua supernaturalia: nec esse pactum, aut legem de danda gratia vlla supernaturali facienti, quod est in se ex solis viribus naturæ, sive positive eliciti opera naturalia bona moraliter, sive non ponat obices peccatorum, sive opera bona naturalia sint donum Dei ex meritis Christi, sive non. Quam sententiam, vt protus aduerfam dogmatibus Pelagij, & Masiliensium, accipimus defendendam. Quod fiet distinctis assertionibus, vt maiorem claritatem conciliemus.

§. I.

Duplex assertio contra Pelagium, & Masilienses.

116 **D**icendum est primò; hominibus viribus solius naturæ non posse sufficienter se vltimò disponere ad gratiam sanctificandam. Hæc conclusio est certa de fide. Et probatur primò ab autoritate sacre Script. Nam Ioann. 6. dicitur: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Quæ verba contra Pelagium sic vrget D. August. lib. 1. Contra duas epist. pelagian. cap. 19. *Non enim ait, Duxerit, vt illis aliquomodo intelligamus præcedere voluntatem &c.* Mittimus nunc alia sacre Script. loca, quia commodius adducuntur pro assertionem secundam.

Et Confirmatur primò ex Concilij. Nam Trid. sess. 6. can. 3. ait: *Siquis dixerit, sine præueniente Spiritus-sancti inspiratione, atque* Tom. III. Paul. Theol. Salm.

que eius adiutorio hominem credere, sperare, diligere, aut penitere posse, sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur, anathema sit. Arauf. 2. can. 4. ait: *Siquis, vt à peccato purgemur, voluntatem nostram Deum expectare contendit; non autem, vt etiam purgari velimus, per Sancti-spiritus infusionem, & operationem in nos fieri constituit, resistit ipsi Spiritui-sancto per Salomonem dicenti: Præparatur voluntas à Domino. Et Apostolo salubriter predicanti: Deus est, qui operatur in nobis & velle, & persicere pro bona voluntate.* Idem docet Milevita can. 4.

Confirmatur secundò ex SS. PP. Sed quia superfluum videtur autoritate D. August. & D. Hieronym. recensere, quorum primus duos libros conscripsit contra hunc errorem Pelagij contentum in duabus epist. pelagianorum; & secundus præter epistolam ad Ctesiphontem tres libros integros destinavit aduersus pelagianos, in quibus vterque Doctor apertis sacre Scripte testimonijs, rationibusque validissimis propugnat necessitatem gratiæ Dei ad singula opera bona, vt ad salutem pertinentia: & quia non minus superfluum est in medium afferre testimonia Prosperii Fulgentij, & aliorum PP. qui doctrinam Mag. sui August. magnopere amulantur; adducemus vnium, vel aliud aliorum PP.

Ambros. enim lib. 10. Epistolarum epist. 84. post medium ait: *Ut ergo misericordiam Dei queramus, Dei misericordia est, qui ait: Miserebor, cui misertus ero; & misericordiam præstabo, cui misericordiam præstitero.* D. Greg. lib. 33. Moral. cap. 25. ait: *Nemo ergo Deum meritis præuenit, vt tenere eum quasi debitorem possit, sed miro modo equus omnibus conditor, & quosdam præliquit, & quosdam in suis pravis moribus derelinquit.* Idem docent Bernard. Anselm. Beda, Ilidorus, Damasc. & alij.

117 Secundò probatur ratione: Nam dispositio saltem proxima, seu vltima, ad quam infallibiliter sequela physica sequitur gratia, debet esse entitative supernaturalis; sed actus entitative supernaturalis nequit elici viribus solius naturæ: ergo viribus solius naturæ nequit homo se proximè, & vltimò disponere ad gratiam. Maior probatur: Nam vltima dispositio ad aliquam formam, & ipsa forma debent esse in eodem ordine; sed gratia est entitative supernaturalis: ergo etiam vltima eius dispositio. Maior probatur: Tum inductivè. Tum quia habet connexionem, & proportionem cum eadem cum ad hoc detur, vt subiectum vltimò aptet ad receptionem formæ: ergo debent esse in eodem ordine.

Deinde probatur minor primi syllogismi Nam (præterquamquòd est lumine naturali notum quòd nulla causa potest producere effectum,

Dd 2 vel

vel actum, quem in se non præcontinet) actus supernaturalis, vel non est talis, vel superat omnem vim, & exigentiam totius naturæ creatæ, & creabilis: ergo nequit elici solius naturæ viribus. Videantur quæ diximus tract. 2. disp. 1. & 3. per totam. Quæ ratio est adeo efficax, & vt faciliè evanescent evasiones hæreticorum.

Potest enim responderi negando maiorem. Ut liquet in dispositionibus ad animam rationalem, quæ ex se habent connexionem, & proportionem cum ea, licet illæ sint corporeæ, & anima spiritalis. Manumittimus alias evasiones: quia vel non attinent ad punctum præsentis assertionis: vel superatæ manent ex dictis locis citatis.

Sed contra est primò: Nam quidquid sit de convenientia animæ rationalis, earumque dispositionum in spiritualitate, vel corporeitate, certam omnino est, quòd sunt in eodem ordine naturali: pariter, quidquid sit de convenientia in spiritualitate, aut corporeitate, exercitium infusarum virtutum proportionem, & connexionem habet cum gratia, quia sunt in eodem ordine: ergo dispositio vltima ad gratiam, quidquid sit de convenientia in spiritualitate, aut corporeitate, debet esse cum ea in eodem ordine supernaturali. ¶ *Secundò.* Nam propterea res corporea potest esse vltima dispositio ad introductionem animæ rationalis, quia hæc est corporea vt quo, vt potest ex se formā connaturali corpori; sed gratia habitualis non est forma connaturalis animæ: ergo dispositio, quam hæc potest proprijs viribus elicere, nullam proportionem, aut connexionem habet cum ea.

118 Dicendum est secundò, hominem per solas vires naturales, non posse se disponere adhuc remotè ad gratiam habitualement, id est non posse se disponere positivè ad auxilium aliquod supernaturale, ita ut ex natura rei dispositio naturalis connectatur cum illa. Hæc assertio, quæ procedit contra Mafsilienfes, seu semipelagianos, etiam est de fide definita in pluribus Concilijs. Nam Araus. can. 3. dicit: *Si quis per invocationem humanam gratiam Dei dicit posse conferri, non autem ipsam gratiam facere, & invocetur à nobis, contradicit Isaie prophete dicenti: Inventus sum à non querentibus me.* Et can. 25. vbi contra eos definit, nullam gratiam conferri *credentibus, volentibus, desiderantibus, & pulsantibus* &c. sed ipsam gratiam facere, *vt credamus, velimus, desideremus* &c. Trid. tam can. suprâ relato: tum sess. 6. cap. 5. vbi ait: *Declarat præterea ipsius institutionis exordium in adultis à Dei per Christum Iesum, præveniente gratia, sunendum esse, hoc est, ab eius vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis vocantur* &c. Idem declarat cap. 6. seq.

Et probatur ex Scriptura. Nam Ioan. 15. dicitur à Christo: *Sine me nihil potestis facere.* Quem locum virgens Magin. Parens August. lib. 2. Contra duas epist. pelagianorum cap. 8. contra Pelag. & eius reliquias inquit: *Non ait, Sine me nihil potestis perficere, sed facere. Nam si perficere dixisset, possent illi dicere, non ad incipiendum bonum, quod à nobis est, sed ad perficiendum esse Dei adiutorium necessarium. Dominus enim, cum ait, Sine me nihil potestis facere, hoc vno verbo initium, finemque comprehendit. Quo quid apertius?*

Item 2. ad Corinth. 3. dicitur: *Non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Quo testimonio vitur Concil. Araus. can. 7. contra Mafsilienfes, ad probandum omne salutis initium, quod ab ipsa sancta cogitatione sumitur, soli Deo tribuendum esse. Sed illud ponderans Div. August. sic arguit contra eos tanquam à minori ad maius loco proximè relato his verbis: *Nam cum minus sit cogitare, quam cupere: potest enim homo cogitare bonum, quod nondum cupit, & proficiendo postea cupere, quod antea non cupiendo cogitavit: quomodo ad id, quod minus est, id est ad cogitandum aliquid boni, non sumus idonei tanquam ex nobis ipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est; & ad id, quod est amplius, id est ad cupiendum aliquid boni, sine divino adiutorio idonei sumus libero arbitrio? Quem modum arguendi habet Anselmus ad prædictum locum. Et Div. Bernardus tract. de Gratia, & lib. arb. versus fin. vbi ex prædicto testimonio sic concludit: *A Deo sine dubio nostra fit salutis exordium.**

Et probatur ratione: Quia nullus actus supernaturalis potest fieri viribus solius naturæ, vt supponimus; sed nullus actus naturalis, etsi moraliter bonus, ex natura sua connectitur cum auxilio aliquo supernaturali: ergo homo non potest viribus solius naturæ positivè se disponere ad auxilium aliquod supernaturale. Minor, in qua est difficultas, probatur: tum quia alias tale auxilium non esset gratia, cum non excederet facultatem, & exigentiam ipsius naturæ, nec gratis daretur. Tum etiã: Nam iam homo proprijs viribus posset seipsum discernere à massa perditionis, contra id quod inquit Apost. 1. ad Corinth. 4. *Quis enim te discernit?* Tum denique: Nam vel quodlibet opus naturale bonum moraliter connectitur physicè cum auxilio supernaturali, vel omnia collectivè sumpta, vel aliqua: Primum dici non potest; alias etiam connecteretur cum gratia habituali, & ita quicumque peccator faciens aliquid opus bonum morale, v. g. elemosinam ex sola pietate naturali, iustificaretur. Nec secundum: tum quia moraliter est impossibile, quòd quis simul, aut divisivè eliciat omnia opera bona

mo-

§. II.

Argumenta Pelagij, & Mafsilienfium.

121 Arguitur primò: Nam omnia opera bona moralia habent connexionem immediatam cum gratia; sed homo adhuc lapsus suis viribus naturalibus potest elicere plura opera bona moralia: ergo potest se vltimò disponere ad gratiam. ¶ Et potest confirmari ex D. Thom. tum quodlibet. 1. art. 8. ad 2. vbi ait: *Dicendum, quòd naturali dilectione, qua Deus super omnia naturaliter diligitur, potest aliquis magis, & minus uti, & quando in summo fuerit, tunc est summa preparatio ad gratiam habendam.* Tum etiam in 2. dist. 28. quæst. 1. art. 4. vbi inquit: *Ad gratiam gratum facientem habendam ex solo libero arbitrio potest se homo preparare.* Ubi addit: *Preparatio, qua est ad gratiam, non est per actus, qui sunt ipsi gratia equandi equalitate proportionis, sicut meritum equatur premio. Et ideo non oportet, quòd actus, quibus homo ad gratiam habitualement se preparat, sint naturam humanam excedentes.* Et ad 3. loquens de Pauli conversione ait: *Cum se ad gratiam preparavit, gratiam consecutus est.* Non tamen oportet, quòd antequam gratiam gratum facientem acceperis, sibi aliquod lumen gratia gratis data infusum fuerit.

119 Respondebis cum Pelagio, quòd tale auxilium esset gratia, & homo ex ea se discerneret. Ad quod sufficit, vt fundetur in gratia creationis: sicut charitas, & virtutes infuse sunt rigorose gratiæ, quia non vult debite subiecto secundum se.

Contra est primò. Nam creatio propriè non est gratia, vt inquit D. August. epist. 195. his verbis: *Illam verò gratiam, qua creati sumus, etiam ita appellandam non immeritò intelligimus: mirum est tamen, si ita appellatam in vllis legitimis, prophetis, evangelicis, apostolicisque litteris legimus.* ¶ *Secundò.* Nam licet productio rei quodammodo possit dici gratia; non potest tamen negari, quòd respectu illius existentis est possibilis aliqua gratia; sed nihil potest assignari iuxta Scripturam, Concilia, & PP. nisi gratia habitualis, & alia dona ad eam concurrentia: ergo falsum est, quòd sunt tantum gratia prout in radice creationis: si ergo sunt gratia, nullo modo sunt debita titulo connaturalitatis physice operibus naturalibus, iuxta illud Apost. ad Rom. 11. *Si gratia, iam non ex operibus.*

120 Respondebis cum Semipelagianis, quòd licet homo possit operibus naturalibus consequi auxilium gratiæ; hoc tamen fit ex divina misericordia, ipsis operibus se habentibus per modum conditionis. Hæc fuit legitima mens Casiani, & Fausti, qui fuerunt præcipui patroni Mafsilienfium, vt perpetuò tradunt DD. catholicæ.

Hæc tamen evasio, si conferatur cum doctrina communi Mafsilienfium, nequit subsistere. Nam ipsi asserbant, Deum conferre homini auxilium gratiæ intuitu operum naturalium, ne videretur iniustus acceptator personarum, si otiosus illud conferret, & studiosis negaret; sed hoc vitium acceptationis personarum non habet locum in ijs, quæ præcipue conferuntur ex divina liberalitate, & misericordia, sed in ijs quæ conferuntur ex titulo iustitiæ, vt tradit D. Thom. 2. 2. quæst. 63. art. 1. ergo iuxta Mafsilienfium doctrinam opera naturalia non conferuntur cum auxilio gratiæ ex divina misericordia: & ita ratio proposita manet contra eos in suo robore. An verò Deus conferat intuitu operum naturalium ex pura misericordia auxilia gratiæ, ex sequentibus resolutionibus constabit.

122 Arguitur secundò: Ubi negatio est causa negationis, affirmatio est causa affirmationis, & converso; sed peccata opposita operibus bonis moralibus naturalibus indisponunt hominem ad recipiendum gratiam habitualement. Sed non excludit dispositionem procedentem ex auxilio supernaturali. Per quod videatur totus articulus.

Ad argument. responderet, negando maiorem: nec vllò principio potest evinci. ¶ Ad confirmationem ex pluribus testimonijs Div. Thom. compactam, Responderet ex nullo deduci, si rectè legantur, quòd opera naturalia sint vltima dispositio ad gratiam habitualement, vt discurrendo per singula constat. Ad primum adductum ex quolib. 1. dicendum est, quòd dilectio naturalis Dei super omnia ex se non est dispositio ad gratiam, sed prout imperatur à charitate, aut coniungitur cum dilectione supernaturali: quo pacto non potest coniungi in homine lapsò nisi habeat gratiam habitualement, iuxta dicta num. 49. Et in hoc sensu procedit D. Thom. alias esset sibi contrarius, cum oppositum doceret in eodem quodlib. art. præc. Ad alia duo ex lib. Sent. responderet, sensum illius esse, quòd homo non indiget alia gratia habituali ad recipiendum gratiam sanctificantem. Sed non excludit dispositionem procedentem ex auxilio supernaturali. Per quod videatur totus articulus.

122 Arguitur secundò: Ubi negatio est causa negationis, affirmatio est causa affirmationis, & converso; sed peccata opposita operibus bonis moralibus naturalibus indisponunt hominem ad recipiendum gratiam habitualement: ergo ipsa opera bona moralia disponunt ad eam.

Con-

Confirmatur primò: Nam dispositio vltima ad gratiam debet esse voluntaria; sed actus voluntarius procedit ex sola facultate liberi arbitrii: ergo. ¶ Confirmatur secundò: Nam quò plura, & perfectiora opera exercet homo moraliter bona, eò fit magis aptus ad eius receptionem, indigetque minori auxilio: ergo.

Ad argument. respondetur vnicò verbo, quòd magis requiritur ad bonum, quàm ad malum; indispositio autem est de genere mali; dispositio est de genere boni: Unde non sequitur, quòd si peccata sunt dispositio vt denegetur gratia; opera contraria sunt sufficiens dispositio, vt concedatur. ¶ Ad primam confirmationem respondetur, concessa maiori; negando minorem, Nam, vt inquit Apost. 1. ad Corinth. 15. non ego, sed gratia Dei mecum. Ex quibus verbis colligitur, actum supernaturalem voluntarium non procedere ex sola facultate liberi arbitrii. Sed de hoc plura diximus tract. 2. disp. 3. ¶ Ad secundam respondetur, hominem non reddi magis aptum ad gratiam per plura, aut intensiora opera bona moraliter, nec in eo requiri minus auxilium ad eliciendum quodlibet opus supernaturale: quia ex se nullam vim præstant ad illud.

123 Arguitur tertio: Unio hypostatica communicata fuit humanitati Christi Domini, nulla interveniente dispositione supernaturali, sed tantum attendita fuit congruitas naturæ humanæ: ergo idem potest dici de infusione gratiæ habitualis. Pareat consequentia: quia unio hypostatica excedit in perfectione gratiam habitualem. ¶ Confirmatur: Nam Deus contulit Angelis maiorem gratiam iuxta maiorem perfectionem naturæ vniuersalisque: ergo hæc est dispositio vltima ad gratiam.

Ad argument. respondetur, quòd respectu unionis hypostaticæ nulla intervenit dispositio siue naturalis, siue supernaturalis, propter summam excellentiam illius; quod de gratia habituali verificari valet per potentiam Dei absolutam. Et sic nihil inferri valet contra veritatem Catholicam. Congruitas autem humanæ naturæ erat mera non repugnancia communis cuiuslibet creaturæ: licet nonnulla motiva ei assint, vt assumeretur à Verbo, quæ non reperiuntur in alia natura. ¶ Ad confirmationem respondetur, quod si Deus perfectiori naturæ angelicæ contulit intensiorem gratiam, est, quia contulit ei intensiorem dispositionem dilectionis Dei supernaturalis ex pura misericordia.

124 Arguitur quartò cum Malsiliensibus, & procedit contra secundam assertionem. Nam opera moraliter bona naturalia habent aliquam connexionem cum primo auxilio gratiæ: ergo sunt dispositio physica ad illud. Antecedens probatur primo: nam supremum infini actus

igit infimum supremi; sed opera naturalia moraliter bona sunt supremum in ordine naturali, & primum auxilium gratiæ est quid infimum in ordine supernaturali: ergo habent aliquam connexionem cum illo. Secundò: Nam homo quò magis se disponit per opera naturalia, eò plura auxilia consequitur: ergo idem quòd prius.

Et confirmatur ex D. Chryf. hom. 17. in Ioann. & hom. 12. ad Hebræos, vbi ait: Deum non prævenire nostras voluntates, ne lædatur arbitrium, sed expectare vt nos incipiamus, & postea conferre dona sua: ergo sentit, esse dispositionem ad primum auxilium gratiæ opera facta ex sola facultate liberi arbitrii.

Ad argument. respondetur negando antecedens. Et ad primam eius probationem fundatam in illo vulgari proloquio: dicendum est, solum tenere in ijs quæ sunt intra eundem ordinem, secus verò in ijs quæ sunt in ordinibus adæquate diversis, quales sunt ordo naturalis, & supernaturalis. Ad secundam: Respondetur negando antecedens. Quia idem dicendum est de maiori dispositione naturali, ac de quocumque opere naturali, iuxta alterum proloquium, Ita se habet simpliciter ad simpliciter, sicut magis ad magis: itaque si negamus, vllam dispositionem naturalem connecti cum vllò auxilio; necesse est, quòd negemus, maiorem dispositionem naturalem connecti cum maiori auxilio.

Ad confirmationem respondent Molina, & Vazquez, D. Chryfost. Semipelagianis adhaesisse, ex illoque Casianum suam sententiam desumpsisse. Sed ceteri DD. acriter vindicant ab hoc errore tantum Doct. ex tribus. Primò, quia in alijs locis expressè docet sententiam catholicam, vt in hom. 6. super epist. 2. ad Corinth. cap. 3. vbi explicans illa verba Apost. 2. ad Corinth. 3. Non quòd sufficientes simus cogitare aliquid ex nobis: sic ait: Non ita dixi fiduciam habemus, tanquam aliud nostrum sit, aliud Dei: sed totam illud Deo ascribo. Videatur insuper super epist. 1. ad Corinth. 4. ad illa verba, Quid habes, quod non accepisti, hom. 12. Secundò: Quia in Conc. Palest. (vbi actum fuit non solum contra Pelagium, sed etiam contra Semipelagianos, vt refert August. epist. 106.) nulla fit mentio, aut correctio eius doctrinæ, licet antea existisset: & verosimile est fuisse faciendam, ne doctrina tanti Doct. assilam præberet fidelibus ad prædictum errorem. Tertio: Quia nunquam Pelagiani, aut Semipelagiani, illum adduxerunt in suorum suffragium, sicut attulerunt Casianum. ¶ Adde. Nam D. August. pluribus in locis, vt lib. de Nat. & grat. cap. 64. & lib. 1. contra Iulian. cap. 6. & 7. & lib. 2. cap. 6. inquit, Chryfostomum illo tempore fuisse loquentem securè, quia error Pelagij, & eius reliquæ nondum erant

Dub. VII. An homo proprijs viribus possit proximè, vel remotè &c? 215
erant extra, & à catholicis rectè intelligebatur. Cui ergo credendum est, Vazquione, aut Augustino?

Unde respondetur, D. Chryfost. in locis relatis nihil aliud docere, quàm alios PP. in quibus reperitur idem modus loquendi, illosque interpretatur ipse Vazquez in sensu sano Ecclesiæ: itaut, cum inquit Deum expectare, vt nos incipiamus, loquantur de inceptioe ex parte voluntatis nostræ elevatæ per auxilium gratiæ. Per quod commendant humanam libertatem contra Manichæos, contra quos Chryfostomus præcipue agebat.

125 Ultimo arguitur ab inconvenientibus. Nam in nostra sententia sequitur primò, quòd Deus sit acceptor personarum, si otiosis conferret auxilium gratiæ, & studiosis denegaret: contra id quòd Apost. Petrus in Act. Apost. cap. 10. ait: In veritate comperi, quòd non est acceptor personarum Deus. ¶ Secundò, frustraneas esse exhortationes ad operandum benè moraliter: cum opera moraliter bona naturalia nullo modo conducant ad salutem. ¶ Tertio: peccatores iniuste corripi, cum se non disponunt ad gratiam: cum non sit in sua potestate habere auxilium gratiæ. ¶ Quarto: iustificacionem impij, & præcipue collationem primi auxilij esse opus miraculosum: cum non possit dari ad illud vlla dispositio, propterquam rationem resurrectionis mortui est miraculosa.

Ad hoc argument. respondetur, nullum sequi inconveniens ex relatis in nostra sententia. Non primum. Nam acceptio personarum solum habet locum in ijs, quæ debentur ex iustitia: & cum auxilium gratiæ non sit debitum operibus bonis naturalibus, potest Deus absque vllò vitio acceptiois personarum conferre otiosis, & denegare studiosis auxilium gratiæ. Videatur D. Thom. 1. part. quæst. 23. art. 3. ad 3. Nec secundum: Nam licet opera bona moraliter intra ordinem naturalem nullo modo conducant positivè ad salutem; conducunt tamen negativè, quatenus homo per ea disponitur, ne peccet, & impediatur peccata, quæ ex se demerentur collationem gratiæ. Nec tertium: Nam propter peccatores corripiuntur, ex eo quòd non se disponunt ad gratiam, quia non cooperantur auxilijs gratuitis, quæ Deus non solum offert, sed omnibus adultis confert. Et quia se indisponunt per peccata ad collationem eorum. Nec quartum: Nam ad opus verè, & propriè miraculosum requiritur, quòd sit iuxta providentiam extraordinariam, & quòd nullam activitatem adhuc radicalem supponat in subiecto: vnde quia resurrectionis has, & alias conditiones requisitas ad veram rationem miraculi supponit, propterea est miraculosa. Collatio verò auxiliij fit iuxta providentiam ordinariam, & supponit activitatem saltem radicalem ad

actum illius: & hæc sufficiunt, vt non sit proprie miraculosa.

§. III.

Assertio tertia contra Nominales.

126 Dicendum est tertio, hominem per opera naturalia moraliter bona non mereri adhuc de congruo collationem primi auxilij supernaturalis. Hæc assertio procedit non solum contra Semipelagianos, sed etiam contra plures Catholicos, adhuc Thomistas. Pro cuius tamen intelligentia notandum est cum perdoctis NN. Salm. in suo tract. de Meritis disp. 2. num. 9. & disp. 6. num. 5. duplex esse meritum de congruo: Aliud propriè, & intrinsecè tale: quòd importat aliquam proportionem ex parte actus, & insuper fundatur non in sola misericordia, & liberalitate Dei, sed etiam in aliquo debito saltem amicitie: Amor enim, & amicitia (ait D. Thom. in 4. dist. 15. quæst. 1. art. 3. quæst. 4.) amicorum bona faciunt esse communia. Congruum sane est, vt dum vnus amicus voluntatem alterius facit, etiam in ijs quæ debet; hic etiam adimpleat voluntatem illius in ijs adhuc, quæ alla lege non debet. Qua ratione probat D. Thom. infra quæst. 114. art. 6. iustum posse mereri de congruo alteri primam gratiam: Quia enim homo in gratia constitutus adimplet Dei voluntatem, congruum est secundum amicitie proportionem, et Deus implet hominis voluntatem in salvatione alterius. Ex quo aperte inferitur, quòd in ita merente datur ius, & inducit debitum decencie se tenens intrinsecè non solum ex parte Dei præmiantis, sed etiam ex parte ipsius merentis. Amicus enim ius quoddam habet ad bona, & actiones amici: ideoque congruit Deum præmiare non solum quia ipse bonus, liberalis, & misericors est, sed etiam quia is, qui meretur, amicus eius est. Alterum meritum de congruo est tantum improprè, & extrinsecè: vel quia non habet aliquam proportionem cum premio; vel etò illam habeat, fundatur eius decencia in sola misericordia, bonitate, & liberalitate Dei. Quam divisionem admittit sapientif. Lisbon. 1. 2. disp. 20. in fine, & disp. 2. art. 1. & Serna supra relatus num. 1168. Assertio nostra accipienda est de merito in priori sensu. Quid verò dicendum sit de eo in posteriori, consistit ex sequentibus.

127 Et probatur primò ab authorit. Nam Concil. Trident. sess. 6. cap. 1. inquit: Exordium nostre iustificationis in adultis sumendum esse à divina gratia, hoc est ab eius vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis vocantur; sed cum proposito Concilij sit negativa vniuersalis, & distributiva, excludit omne

ne meritum, quod sit verè meritum, hoc est habens ius aliquod intrinsecum ad primum: ergo iuxta Concil. nequit homo mereri merito de congruo proprie dicto per opera moraliter bona primum auxilium supernaturale.

Et confirmatur ex Magn. Parente August. tum epist. 105. vbi sic concludit: *Res fiat quidem, et ipsam fidem non humano tribuamus arbitrio, nec illis precedentibus meritis, quoniam inde incipiunt bona quaecumque merita: sed gratuitum donum esse fateamur, si gratiam veram inde sine meritis esse cogitamus.* ¶ Adde: Nam in sententia frequentiori DD. est dogma Pelagianum, & Semipelagianum, quod homo possit per opera naturalia non procedentia à gratia speciali Dei mereri de congruo primam vocationem ad fidem: & ita tantum negabant meritum de condigno, vt colligitur ex Casiano lib. 12. de Institut. Monachor. cap. 11. vbi ait: *Petitionem, & inquisitionem, & pulsationem nostram non esse condignam, nisi misericordias Dei id, quod petimus, dederit.* Et ex Fausto lib. 1. de Lib. arbitrii. cap. 17. & tamen D. August. lib. de Grat. & Lib. arbitrii. cap. 6. sic redarguit his præclarissimis verbis: *Sed cum dicunt Pelagiani, hanc esse solam non secundum merita nostra gratiam, qua homini peccata dimittuntur; illam verò, qua datur in finem, id est ad æternam vitam, meritis nostris precedentibus reddi; respondendum est illi: si enim merita nostra sic inteligerent, vt ipsa Dei dona cognoscerent, non esset reprobanda ipsa sententia. Quoniam verò nostra merita sic predicant, vt ex semetipso habere hominem dicant, prorsus respondet restissimè Apost. Quis te discernit &c. ergo iuxta D. August. per opera nullo modo procedentia à gratia homo non potest adhuc de congruo mereri vllum auxilium gratiae. Jam sic: sed nullum est opus bonum morale naturale, quod homo non possit elicere sine auxilio gratiae, excepta dilectione naturali Dei super omnia, quae iam praesupponit gratiam habitualement, vt dub. 2. & 3. dictum est: ergo in sententia Augustini non potest concedi operibus merè naturalibus meritum de congruo respectu primi auxilij supernaturalis.*

Confirmatur secundò ex D. Thom. in 2. dist. 27. quaest. 1. art. 6. vbi notans differentiam, quae est inter meritum de congruo per opera naturalia respectivè ad gratiam, & meritum de congruo, quo iustus meretur alteri primam gratiam, sic ait: *Ita tamen, quod est hic plus de ratione meriti, quam quando aliquis dicitur sibi mereri gratiam ex congruo.* Et rationem reddit ad 4. *Quia opus alienum informatum gratia plus ad meritum accedit condignè, inquantum ex radice gratiae proce-*

dit, quam opus proprium, quod ex puris naturalibus causatur; sed hoc nihil aliud est, quam vnum meritum habere congruitatem intrinsecam, & alterum tantum extrinsecam: ergo iuxta Div. Thom. opera naturalia non sunt meritoria merito de congruo proprie dicto respectu divinae gratiae. Idipsum aperte colligitur ex ijs, quae docet infra quaest. 114. art. 3. & 6. secundo enim loco docet, quod iustus potest mereri merito congrui alteri primam gratiam congruitate fundata in amicitia proportionè; & primo in loco asserit, quod actus, prout procedit præcisè ex libero arbitrio, habet congruitatem quandam fundatam in quadam lata proportionè, consistente in hoc, quod quia homo operatur secundam virtutem naturalem totum, quod potest, etsi nullius valoris respectu rei supernaturalis, Deus etiam operatur secundum excellentiam suae virtutis: quae proportio est operantium, sed non operum. Propter quod notandum est valde, quod art. 6. appellat ore pleno meritum congrui, sed art. 3. non, sed præcisè congruitatem: sentit ergo, quod homo per opera præcisè naturalia non potest mereri proprie de congruo aliquod auxilium supernaturale.

128 Deinde probatur ratione fundamentali: Nam vt aliquis actus sit meritorius proprie de congruo respectu primae gratiae supernaturalis, requiritur, quod habeat aliquod ius intrinsecum ad eam, quamvis non adaequet valorem illius; sed nullus actus merè naturalis potest fundare ius aliquod intrinsecum relatè ad primam gratiam supernaturalem: ergo non potest esse meritorius proprie de congruo respectu illius. Maior solùm eget explicatione: Etenim omne meritum iuxta conditionem illius fundat ius aliquod ad primum, itaut, si est de condigno, fundet illud de iustitia; & si est præcisè de congruo congruitate extrinsecam, fundet illud ex aliqua lege extrinsecam, seu liberalitate, aut misericordia pramiantis; pariter ergo meritum proprie de congruo debet habere ius partim fundatum in misericordia Dei, & partim in sua entitate intrinsecam, vt sic medio modo se habeat inter meritum de condigno, & meritum de congruo improprie dictum.

Minor verò probatur: tum quia, si fundaret aliquod ius relatè ad gratiam primam auxiliantem, non adaequatè esset gratia, iuxta illud Apost. ad Rom. 11. *Si autem gratia, iam non ex operibus, alioquin gratia iam non esset gratia;* atqui prima gratia est adaequatè gratia; ergo actus merè naturalis non habet aliquod ius ad primam gratiam auxiliantem. Tum etiam: Nam si haberet aliquod ius ad primam gratiam auxiliantem, iam in negotio iustificationis posset homo quodammodo se discernere, & gloriari; hoc autem contradicit Apost. 1. ad

Dub. VII. An homo proprijs viribus possit proximè, vel remotè &c. 217
ad Corint. 4. dicenti: *Quis enim te discernit &c. ergo idem quod prius.* Tum denique: Nam actus nullam habens ex se proportionem cum gratia, nec fundatus in amicitia Dei, non potest habere ius aliquod intrinsecum ad illam; sed actus merè naturalis nullam habet proportionem intrinsecam cum prima gratia auxiliante, cum hæc excedat totum ordinem naturalem; nec fundatur in amicitia Dei, aliàs supponeret gratiam habitualement.

§. IV.

Assertio quarta contra Recentiores Societatis.

129 **D**icendum est quartò, nulla lege Deum statuisse dare primam gratiam auxiliantem facienti quod est in se viribus naturæ, sive elicit quaecumque opera moraliter bona naturalia, sive curet vitare peccata: proindeque non ita mereri de congruo congruitate extrinsecam fundata in sola fidelitate, & liberalitate Dei per huiusmodi dispositionem prædictam gratiam, vt Deus infallibiliter conferat illam se ita disponenti. Hæc assertio colligitur ex D. Thom. infra quaest. 112. art. 3. vbi inquirat, *an necessariò datur gratia preparanti se ad eam, vel facienti quod est in se.* Et respondet, quod si fermo sit de preparatione, secundum quod est à libero arbitrio, non datur illi necessariò & infallibiliter gratia. Si verò fermo sit de preparatione, secundum quod est à Deo movente, necessariò consequitur gratiam ex ordinatione divina, non necessitate coactionis, sed infallibilitatis. Quæ resolutio, si conferatur cum alia doctrina D. Thom. relata num. 18. ex qua suadet posse hominem sine speciali gratia Dei (licet non sine eius motione efficaci, & generali) elicere omnia opera naturalia bona moraliter, exceptis dilectione Dei naturali, & contritione naturali perfectæ, quae iuxta dicta num. 127. iam supponunt gratiam habitualement, evidenter persuadet nostram assertionem, videlicet, primam gratiam auxiliantem non infallibiliter donari facienti, quod est in se solis viribus naturæ, id est operanti bene moraliter in omnibus, & cessanti à peccatis.

Et probatur ratione: Nam pactum, seu lex illa vel esset inter prædictas dispositiones naturales, & auxilium supernaturale tanquam inter res omnino disparatas, sicut si Deus statueret legem, vt respicienti solem conferret huiusmodi auxilium; vel non se haberent disparata, seu daretur aliqua proportio intrinsecam inter vnum, & aliud, sed ex neutro capite prædicta lex potest firmari: ergo non datur vllum pactum, aut lex, de conferendo primum auxilium supernaturale facienti quod est in se viribus naturæ. Minor quoad primam partem

probatur: tum quia huiusmodi pactum est omnino impertinens. Tum quia sine vilo solido fundamento in Scriptura, Concilij, aut PP. astruitur. Tum deinde: quia plures sunt peccatores, qui multoties bene operantur, & non consequuntur auxilium. Tum denique: quia huiusmodi pactum non est propter quodcumque opus naturale bonum moraliter; aliàs quilibet faciens vnum actum elemosynæ conficeretur prædictum auxilium: nec propter aliqua determinata, quia non est maior ratio de vno, ac de alio, excepta dilectione illa naturali Dei super omnia, quae supponit iam gratiam habitualement: nec propter omnia, quia hoc est impossibile, & aliunde requiritur gratia: ergo non datur huiusmodi pactum, quasi disparate se habens ad opera moraliter bona naturalia.

Quoad secundam partem probatur eadem minor: tum propter eadem rationes proximè datas. Tum etiam: quia iam essent meritoria de congruo congruitate intrinsecam relatè ad auxilium supernaturale: vel essent dispositio physica ex natura sua ad illud; hoc non potest admitti propter dicta duabus assertionibus præcedentibus: ergo non datur pactum infallibile inter dispositiones illas præcisè naturales, & auxilium aliquod supernaturale tanquam inter res inter se proportionatas. Tum denique: quia iam saluaretur, quod initium nostræ iustificationis esset ex nobis conantibus, desiderantibus, petentibus &c. & non ex gratia; hoc autem est contra Script. dicentem: *Quis te discernit? Quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Quid est, quod hunc trahat, & illum non trahat? Quod insolutum relinquit Apost. & super quod inquit D. August. Noli velle ad iudicare, si non vis errare.* Quibus omnibus interrogationibus haberemus, quid respondeamus, si inter opera merè naturalia, & auxilium supernaturale daretur aliqua congruitas, & proportio intrinsecam, cuius intuitu esset statutum infallibiliter pactum, aut lex de collatione auxilij supernaturalis cullibet sic se disponenti, quod est dogma Casiani, & Fausti damnatum à Concilij, & reprobatur à PP. maxime ab Augustino, Prospero, Fulgentio &c. ergo.

130 Quæ ratio est adeo vniuersalis, & efficax, vt ea sola facile corrumpat omnes modi dicendi recentiorum Iesuitarum, & aliorum, vt ex impugnatione proximè referendi, qui est magis trius inter eos, evidenter constabit. Alunt enim Herice, Vazquez, & alij, quod prædicta lex stabilita fuit intuitu meritorum Christi, itaut applicatio eorum fiat tum ad stabilendam prædictam legem: tum vt conferatur vni potius, quam alteri cogitatio congrua, seu efficax, aut efficax motio, proveniatque ex providentia prædestinativa. Ex quo colligitur, quod opera naturalia moraliter bona fundentur in auxilio gratia speciali per Christum. Quibus sup-